

OMAGGIO POETICO

ALLA MEMORIA ILLUSTR

DI ANNA MARIA RUFFO DI CALABRIA

PRINCIPessa DI PETTORANELLO.

---



EXCELLENTISSIMO ATQUE ORNATISSIMO JUVENI

VINCENTIO CARACCILO

JOSEPHI FILIO PRIMOGENITO EX MARCHIONIBUS S. AGAPITI

JACOBUS CASTRUCCI

S. P. D.



Ubi primum, Excellentissime Vincenti, tristis-  
simus ille de praematurato tuae Matris discessu nun-  
tius ad meas aures pervenit, tamquam improvise  
quodam fulmine ictus, penitus obstupui, vereque  
faucibus haesit lingua. Mediocres enim dolores,  
ut ille scripsit, sunt loquaces, summi stupent.  
Multos autem post dies cum aliquantulum me ex  
illo stupore recepissem, mecum ipse tacitus cogi-  
tare coepi, quaenam pro illius in me benevolentia,  
proque mea in illam observantia, officii mei partes  
essent, et quonam pacto explendae. Atque initio  
quidem id mihi proposueram, ut illius honestissi-  
mam vitam, virtutesque perpetua oratione per-  
sequerer, et pro virili illustrarem. Sed dum rem,  
materiemque unde unde mihi compararem, casu  
rescivi, eam provinciam jam praeoccupatam, egre-  
gieque adornatam fuisse a duobus peritissimis vi-  
ris, Joachimo Ventura ex familia Theatina, et  
Cajetano Lotti Equite splendidissimo, quorum de  
tuae matris obitu funebria elogia typis edita pas-

*sim circumferuntur , et , quae est utriusque dicendi copia , et venustas , lubentissime leguntur. Cognito hoc , tum vero nihil aliud mihi reliquum factum esse vidi , nisi ut breve quoddam spicilegium colligerem , quod quidem ut et nostris jucundius accideret , et ad esteras quoque gentes permeare posset , latinis carminibus exarandum credidi.*

*Eo autem meus hic qualiscumque labor spectavit unice , ut et meam in Tuam Matrem observantiam apud omnes testatam facerem , et Tibi strenue jam , fideliterque illius vestigia sectanti , majus per hanc quasi tabulam accederet incitamentum , tuaeque vitae ratio ad Matris normam composita fratrem minorem quoque Fulcum , sororesque Carolinam , et Lucretiam ad imitationem , quod jam faciunt non segniter , pelliceret vehementius. Tu interim , suavissime Vincenti , munusculum hoc , quod obsequentissimus Tibi sisto , excipe et carum habeas ob id saltem , quod de Matre tua loquitur honorifice. Vale.*



( 3 )

MEMORIAE . SEMPITERNAE

ANNAE . MARIAE . RVFFO . DE . CALABRIA

EX-PRINCIPIBVS SCYLLAE

QVAE

INTER PIENTISSIMAS D. BENEDICTI SANCTIMONIALES  
VITAE INNOCENTIA INGENIIVQE SAGACITATE EMICVIT

TVM . PUBESCENTE . AETATE

JOSEPHO . CARACCIOLO

NVPTA

VIRO . RELIGIONE . IN . DEVM . FIDE . IN . REGEM  
CARITATE . IN . PAVPERES . PIETATE . IN . SVOS

NVLLI . SECVNDO

CONJVGALIS . PVDICITIAE . LAVDE

ET . SUSCEPTAE . PROLIS . CVRA

ALTERA . AVDIIT . CORNELIA

JACOBVS . CASTRVCCI

PAVCVLA . HAEC . CARMINA

TAMQVAM . FLOSCVLOS . IN . CINERES

PATRONAE . OPTIME . DE . SE . MERITAE

NON . SINE . LACRYMIS



*Poeta , ut suam in Annam observantiam testetur ,  
ejusdem veras laudes prosequitur.*



## E L E G I A.

**A**nna mihi obsequio nunquam non culta fideli ,  
 Quaeque mihi vivens altera mater eras.  
 Si praematurae raptam Te mortis ab ictu  
 Prosequerer nullo funeris officio ,  
 Quo tandem , et quanto macularer crimine culpae ?  
 Elueret tantum victima nulla scelus.  
 Quare age , Musa , tuis si saepe advolvimur aris ,  
 Nec frustra optatam sollicitamus opem ,  
 Nunc quoque , per Fratrem , rogo Te , summumque Parentem ,  
 Sufficias vires in mea vota pares.  
 Lesbia non nobis , non est celebranda Corinna ,  
 Utraque vulgatis nota ab adulteriis.  
 Anna decus Patriae , insignis virtutibus Anna  
 Materies nobis carminis hujus erit.  
 Quis memoret , quantum viva fuit instar in illa ?  
 Et quantis fuerit largiter aucta bonis ?  
 Ast ego non Annam laudabo ab sanguine Avorum ,  
 Non Matre ab clara , conspicuoque Patre ( 1 ) ,  
 Non quod sat largi frueretur commoda victus ,

---

(1) L' autore in questo luogo accenna semplicemente gl' illustri genitori senza nominarli , e tralascia di far parola de zii , delle sorelle , e dei fratelli della virtuosa defunta , per non offendere la di loro modestia , i quali tutti con le proprie virtù formano uno dei principali ornamenti della nobiltà napoletana.

Non quod fulgerent atria imaginibus.  
 Haec oculis vulgi miranda , optanda videntur :  
 Auna tamen cuncta haec unius assis habet.  
 Relligionis Amor verae , Pietasque , Fidesque ,  
 Candor , et impuri nescia lingua doli ;  
 Et dextra in miseris semper proluxa iuvandis  
 Semper et ad primas auras aperta preces ;  
 Et facili timuisse Deum , ingenuoque timore ,  
 Qui fons est omnis largaque origo boni ;  
 Et mentem ipso in conjugio servare pudicam ,  
 Exemplo et natos edocuisse suos ;  
 Et medio in Mundo , vixisse , ut corpore tantum  
 Serviret Mundo , mente animoque Deo ;  
 Haec opera , haec studia , exercenda , colenda putavit ,  
 Et coluit summam , dum fuit , Anna , fide.  
 Scilicet induitur plenis ut fructibus arbor ,  
 Si fuerit terris consita in irriguis ,  
 Sic Anna a primis annis abscondita claustris  
 Quae beat aetheriis imbribus usque Deus ,  
 Mox educta illinc , Josephum et nacta maritum  
 Moribus , ingenio , nobilitate parem ,  
 Emicuit tanta virtutum fruge beata ,  
 Quantam nulla unquam postera secula dabunt.  
 O Fortunatum tanta , Te , conjugem , Joseph !  
 O tanta erepta conjugem Te miserum !



## EPIGRAMMA.

**E**repta e vivis Anna , creptas simul omnes  
Virtutes primo credidi , et indolui.  
**A**st ubi respexi natos , video simul omnem  
Virtutem in natis luce micare nova.  
**F**ortunata ! Tibi potuit mors surpere vitam ,  
Virtutes contra surpere non potuit.





*Annam rogat Poeta, ut Deo potita suis consulat.*

---

O D E.

Anna, quam terris miseris ademtam  
 Intulit Coelo pietas, fidesque,  
 Quamque nunc omnes, veluti Parentem,  
     Carmine lugent;

Si Tibi Conjux, puerique cari  
 Non minus vita, atque oculis fuerunt,  
 Cum modo in terris fruereis almo  
     Lumine vitae;

Quando nunc inter superos recepta  
 Numinis vultum propius supremi  
 Adspicis, quantum potes, o, relictam  
     Respice gentem.

Cumque felici satis et beatae  
 Quod Tibi poscas, nihil, Anna, restet,  
 Posce, quod Conjux sibi, liberisque  
     Anxius optat.

Posce ut in vita studio fideli  
 Te Ducem nati dociles sequantur,  
 Neu pedes, recto, tremuli, relicto  
     Tramite aberrant.

Posce, ut invictus, patiensque sponus  
 Perferat duros animi dolores,  
 Quos sibi praecox Tua mors inussit  
     Vulnere acerbo.

( 10 )

Poscito , ut Joseph , pariterque nati ,  
Corporis vinclis ubi sint soluti ,  
Arctius tecum socientur alma  
Pace potiti.



Επιγραμμα.

Σου ποτμον θρηνη κλαιουσιν παντες ω Άννα ,  
Αυταρ δη τουτω μλλον εγω φθονω.  
Συν τη ακηρασιζ λεγεθ' ημας γαρ βιοτευσαι ,  
Ει δημου λυπη τω θανατω επεται.

*IDEM LATINE*

**A**nna , tuum funus lacrymis , luctuque secuti  
Sunt omnes , unum hoc scilicet invideo.  
Tunc etenim haud falso sancte vixisse putamur ,  
Si funus sequitur publica moestitia.

---



*Anna abitura ex hac vita Filios ad timendum  
Deum hortatur.*



H E N D E C A S Y L L A B I .

O nati, meus olim amor, meaque  
 Prae vita, prae oculis suaviores,  
 Quando me Deus hinc jubet volare  
 Ad choros Superum, novamque vitam,  
 Haec aure, haec animo hauriatis, oro,  
 Quae vos admoneo exitura terris.  
 Deus principium, Deusque finis  
 Sit vobis simul omnis actionis;  
 Sit omnis quoque cogitationis.  
 Hunc totis animisque, viribusque  
 Amate, et colite, et simul timete  
 Timore ingenuo, atque liberali,  
 Quo nati proprios timent parentes.  
 Unus hic timor est pudoris omnis,  
 Omnis fons et origo Sanctitatis.  
 Hoc Duce, hoc Comite, unico hoc Magistro  
 Non secli illecebrae maligniores,  
 Non fraudes Erebi sagaciores  
 Ducent in laqueos, bonosque mores  
 Corruptent vitis: Duce et Magistro hoc  
 Majorum tituliq; imagineq;,  
 Opes, divitiae, genus vetustum, /  
 Favor, gratia, pompa, et amplitudo

( 14 )

**Nunquam lumina vestra fascinabunt.**

**Hæc monenda habui. Valetè, nati.**

**Et, dicta hæc facite, ut ferant opimum**

**Fructum, nec pereant ad usque funus.**



✂